


DE EPISPASTICIS

JOANNES GASPAR

ROSSI

CASSINENSIS

E MARENCI PRAEFECTURA

AD MEDICINAE LAUREAM

IN SCHOLA MEDICA TAURINENSIS ACADEMIAE

ANNO MDCCCXIV, DIE V APRILIS,

HORA IV CUM QUADR. POMERID.



IN AEDIBUS ACADEMIAE TAURINENSIS

TYPIS VINCENTII BIANCO.

DE EPISPASTICIS.

In tam diviti medicamentosarum substantiarum farragine medicorum codices obruenti, quoddam remedii genus est maximopere momentosum, *epispastici*, vel *vesicatorii* nomine cognitum. Hoc autem titulo insigniuntur substantiae illae, quae corporis superficiei leniter applicitae ipsam irritant, excitant, rubefaciunt; diutius relictae cuticulam in vesicae speciem attollunt sero repletam. Facilis proinde epispasticorum divisio in *rubefacientia*, atque *vesicatoria*, pro diverso, quem exercent, effectu in parte cui apponuntur, qui ex varia eorumdem compositione, vel ex mora, quam agunt in parte, est derivandus: ideoque, quod actuosiora sint vesicantia, et intra breve temporis lapsum vesicam producant, a rubefacientibus tantummodo discrepare nemo non videt.

Vetustissimus est vesicantium usus, quemadmodum Aretaei, Hippocratis, Plinii scripta satis evincunt. Galenus ipsorum utilitatem persentiit, magnique ipsa habuit; Baglivi, aliique quamplures celeberrimi medicinae antistites, nocuum esse ipsorum abusum, vel pravum utendi modum, evidentissime demonstrarunt.

Plura circa vesicatoria a medico veniunt consideranda, ut optatum in morbis producant effectum, ne noxam saepe saepius progignant morbo ipso pejorem. Licet ergo innumeri, et quidem eximii Viri de tanto hocce scripserint subsidio, ut pauca in posterum detegenda supersint; tamen veniam dabit quisquis animadvertat, non ut nova inventis addam, sed ut speciminis ergo

aliquod publici juris exhibeam, quod aliquam utilitatem praeseferat.

Ut autem quemdam ordinem sequamur, primitus eorumdem species, variasque compositiones; modum dein, quo eadem soleant applicari; tertio ipsorum agendi rationem trademus; ut demum unicuique pateat, quibusnam morbis sanandis ipsa conveniant.

Epispasticorum species perpendenti, plures se se offerunt substantiae, quae cutim rubefacere, vel exulcerare sunt aptae; non inutile ideo erit ipsas in simplices, atque compositas dividere. Primae iterum in minerales, vegetabiles, atque animales dispescuntur; alterae vero ex diverso istarum connubio, variaque proportione parantur. Hisce addenda illa auxilia interdum adhibita, quae mechanico prorsus modo actionem suam absolvunt.

Nonnulla in minerali regno corpora extant maximopére acria, atque stimulantia, quae cuti applicita ipsam rubefaciunt, excoriantque; idque praestant alcalinae substantiae, uti *potassa*, *soda*, *calx*; acida quaedam, puta *sulphuricum*, *nitricum*, *muriaticum*, *arseniosum*; salia bene multa, inter quae *nitras argenti*, *murias antimonii*, *murias hydrargyri hyperoxygenatus*, *sulphas cupri*; oxyda varia, quemadmodum *cupri*, *ferri rubrum*, *hydrargyri*, et infinita alia sat multa, brevitatis caussa huc reticenda, quae tamen omnia plus minusve periculi portendunt, dum praescribuntur: hinc nonnisi caute cum ipsis mercandum esse arbitramur.

Inter innumeras vegetabilium species, quae acritate sua pares sunt ad cutim excitandam, rubefaciendam, vel exulcerandam, quoties ipsius superficiei aptantur, plures habentur, quarum nonnullae regionis nostrae indigenae, dum interim quaedam, et quidem intensiori vi praeditae, e longinqua petuntur plaga. Praecipue autem ad sequentes reduci commode possunt: *Daphne Mezereum* (*Thymelaea* in officinis dicta), *D. Laureola* (*laur salvaj*) vulgari nomine cognita, quarum cortex a

trunco, ramis, vel radice deglubitus, tam recens, quam siccus aceto, vel aqua maceratus alicui cutis parti appositus, per aliquot dies relictus, atque renovatus, cuticulam suppositam elevat. *Clematis Vitalba*, a nostratibus *liarbra*, a gallis *herbe aux gueux* nuncupata, necnon *C. recta;* ipsarum siquidem contusa folia acrem exercent in cute facultatem; iisdem utuntur egeni ad ulcera latissima producenda tetrum non raro adspectum referentia, ut transeuntium commiserationem excitent. Omnes *Ranunculi* species plus minusve eadem vi pollent, quae magis evidens est in foliis *R. scelerati*, atque *R. acris*. *Rhus Toxicodendron* adeo acri principio pollet, ut ejusdem folia leniter cuti applicita ipsam citissime in tumorem elevent, quemadmodum et omnes fere *Urticae* species. *Euphorbiae* fere cunctae succum peculiarem fundunt lacti similem, acritate eximium, qui ad cutim exulcerandam, ad verrucas ipsas corrodendas vulgo adhiberi consuescit; illa vero species, quae maxime usu venit, est *E. officinarum* Willd.: Africae regiones incolit stirps ista, succus condensatus in frustula ad nos mittitur *Euphorbii* nomine in officinis cognitus. *Sinapis* genus, et praecipue *S. nigra*, atque *S. alba* semina praebent, quorum usus diaeteticus omnibus notissimus, ipsa vero in farinam redacta, ex qua, exigua addita aquae copia, pasta exurgit, quae corporis superficiei imposita promptissimum rubefaciens subsidium suppeditat; quam quidem vim non exclusive possidere semina istiusmodi censendum; omnia siquidem *cruciferarum* stirpium semina eadem praeterpropter vi pollere visum est. Radix insuper *Plumbaginis europaeae*, in officinis *Dentellariae* titulo indigitatae, praeter alias, quibus scatet, vires, illam pariter possidet, quae rubefacientibus competit. Omnes *Allii* species, praecipue vero *A. Cepa*, et *A. sativum*, huc recensendae; ipsarum radix recens, contusa, vel ex ejusdem expressione succus elicitus

cutim ipsam rubefacit, quemadmodum mulierculis ipsis notum.

Millenae rursus habentur stirpes, quae hacce virtute sunt praeditae; ast speciminis limites non sinunt, ut omnium istarum historiam tradamus; ideo, brevitatis caussa, praecipuarum tantummodo nomina indicabimus. Hae autem sunt: radix *Cochleariae Armoraciae*, lignum *Aloëxyli veri* (LOUREIRO) in China crescentis, nux *Anacardii orientalis*, herba *Anemones nemorosae*, et *Pulsatillae vulgaris*; radix recens *Ari italici*, et *maculati*; radix recens, et succus *Bryoniae dioicae*, vulgo *coussa salvaja*; fructus *Capsici annui*, vulgo *pouvroun*; semina *piperis blandi* contusa; herba *Droserae rotundifoliae*; folia recentia *Juniperi Sabinae*; folia siccata *Nicotianae Tabaci*, et *rusticae*; succus foliorum *Phytolaccae decandrae*; herba *Polygoni Hydropiperis*; *Rutae graveolentis* herba, et semina, similia: quarum omnium descriptiones ab auctoribus fuse traduntur, ideoque nimis longum foret cuncta hic loci referre.

Animale regnum quasdam complectitur substantias, quae maximum acritatis exercent gradum, quemadmodum *ammoniaca*, alcalina nempe substantia, quae, licet non exclusive, uberiori tamen quantitate ab animalibus substantiis educi patitur, atque ipsarum destillationis productum habetur. *Cantharides* prae caeteris in promptu sunt, quoties vesicans est praescribendum. Frequentissime animalcula haec in regionibus meridionalibus occurrunt, nec deficiunt in Pedemontana regione; colles taurinenses incolunt quoque ista insecta, quae ad *Coleopterorum* Linnaeanam classem referuntur, atque *Meloës vesicatorius* a LINNAEO, *Litta vesicatoria* a FABRICIO appellantur; vescuntur insecta haec nonnullorum vegetabilium foliis, et praesertim *Ligustri vulgaris*, *Syringae vulgaris*, *Lonicerae Xylostei*, et *Caprifolii*, *Sambuci nigrae*, et *Fraxini excelsioris*, *Populi nigrae*,

et *canescentis*, *Bignoniae Catalpae*, *Salicis viminalis*, *albae*, *Capreae*, et *Cynoglossi officinalis*. Gregatim acervata super ipsa vegetabilia inveniuntur, foetidum spirant odorem, qui e longinquo etiam persentitur.

Legi solent insecta haec mensibus junii, vel etiam julii; animadvertendum tamen ipsa, ne, dum colliguntur, rore madidas adhuc habeant alas; ideo antequam a solis radiis percussa sint lintei ope colligenda; aceti vapore suffocata, probeque exsiccata, in vase accurate clauso ad opus servanda.

Acri, causticoque principio scatent cantharides, ita ut naribus tantum applicitus ipsarum pulvis, irritatione praevalida excitata sternutationem promovet, inflammationem in schneideriana membrana, in bronchiis, alibique producit. Hanc autem vim a principio admodum acri, atque volatili pendere, ratio suadet.

Disputatum acerrime est, a quonam principio penderet earumdem caustica virtus. Plures, analysis chemicae subsidio, in medium adductae fuere hypotheses, nonnulli ab oleo viridi, quidam a nigra substantia insolubili, alii demum a substantiae luteae aqua, et alcohole solubilis praesentia derivandam esse, tradiderunt. Hisce temporibus post clarissimi Robiquet tentamenta creditur earumdem vim a substantia albida, crystallina in aqua insolubili, in alcohole ebulliente, aethere, et oleis solubili pendere. Ast nunc sciendum restat, quaenam sit hujuscemodi substantiae natura, hinc neque uni neque alteri ex istis opinionibus fidendum esse nobis videtur, verum melius est earumdem agendi modum inquirere, neque novas novis addere hypotheses.

Non uno tantum modo adhibentur cantharides; modo solae, modo aliis sociatae remediis, modo intus, modo extus porriguntur. Instituti nostri ratio expostulat tantum, ut de ipsis sermonem faciamus, quum rubefacienti scopo insumuntur. Non raro solae, et subtiliter pulveratae super ulcera a vesicante jam effor-

mata insperguntur, ut denuo exulceretur pars, quae ad cicatricem vergit, sicque alterius vesicatorii vices gerunt. Ingrediuntur praeterea plurima pharmaceutica praeparata, de quibus nunc dicere restat.

Inter praeparata, atque composita, quae quotidie prae manibus habentur ad cutim excitandam, eminet *pasta fortis*, cujus parandi modus sequens est: recipe: farinae triticeae drachmas duas, cantharidum drachmam semis, aceti acerrimi quantum satis; farinam cum aceto in pastam redactam insperge cantharidibus ruditer pulveratis. Alia sequitur praeparatio, quae *cerati epispastici* nomine venit, quae nil aliud est nisi cera, vel resina, cum pulvere cantharidum probe commixta. Loco cerae alia quoque insumuntur corpora, cantharidibus, euphorbio, aliisque acribus substantiis inspergi solent, atque semper optatum producunt effectum, uti esset *pix burgundica*, *unguentum matris*, *unguentum diachylon*, *unguentum ad fonticulos etc.*

Epispasticum quoque efficacissimum sistit *sinapismus*, qui fermenti panis acidi unciis tribus seminum sinapis albae, aut nigrae pulveratorum uncia una semis, aceti fortis unciis tribus simul commixtis, et in cataplasmatis forma redactis conficitur.

Nec despicienda quaedam auxilia, quae mechanice agere videntur, uti frictiones ex laneo linteo institutae, candens ferrum, aqua ebulliens, similiaque: postrema duo calore suo adeo vehementer cutim attingunt, ut ipsam cuticula orbare valeant, cutimque mirum in modum excitent. Rursus *cucurbitulae* ad rubefacientium classem quoque sunt referendae; pyxis nempe vitrea aliquod combustibile continens corpus, statim ac ignis ipsi admovetur, supposita pars in tumorem elevatur, majori sanguinis quantitate repletur, rubra fit. Variis in partibus applicari solent, generatim dorso, scapulis, abdomini, lumbis, coxis, occipiti, alibique pro casus opportunitate. Vel *siccae* sunt cucurbitulae, vel *scarificatae*, hae

autem sanguinis missionis localis vices praestant: quod cucurbitulae suctione depleantur vasa a lanceola prius lacerata, queis applicantur, indeque sanguinis circuitus liberior evadit.

Veniunt insuper ulcera peculiaria a *fonticulo* et *setaceo* excitata, quae nempe eamdem, ac vesicatoria actionem exercent, in eo tantum discrepare videntur, quod per longius tempus perdurent, ob heterogenei corporis praesentiam. Priora hoc pacto efficiuntur: incisio, erosio, vel ustio apto medicamento efficitur, postea vero corpus rotundum, ex cera, vel ex ligno confectum immittitur; hoc pacto ulceris consolidatio impeditur, jugiter irritatio perstat, jugiter profluit humor. Frequentius in brachiis, coxis, vel cruribus instituuntur; cavendum ne pars, in qua efficitur operatio, nullos praegrandes nervos recipiat, qui ad superficiem distribuantur, namque nervi laesio plurima progignit mala maxime pertimescenda. *Setaceum* autem ulceris species est, quae in occipite, aut inter scapulas, vel alibi etiam efficitur; hoc vero consistit in fili cujusdam cerati immissione in quadam parte, atque assidue servati, statisque temporibus distracti, ne ulcus ab ipso factum occalescat. Nonnulli demum *moxam* vesicantibus addunt: ipsius nomine venit quaedam grisea lanugo, qua a folii tusis, tritisque *Artemisiae chinensis*, vel etiam *vulgaris* obtinetur; haec in conum redacta cuti aptatur, atque comburitur, ideoque effectus ustioni proprios producere moxam, abunde liquet.

Quod attinet ad vesicantium applicationem aliqua dicenda. Non unum tantum sed plura eodem tempore applicari merentur vesicantia, pro variis rerum adjunctis; rursus non semper in data corporis regione apponi solent. Hae omnes differentiae vel ab aetate, sexu, temperamento, idiosyncrasia, vel a diverso morbi ingenio sunt repetendae. Generatim applicari communiter solent nucae, temporibus, retro aures, capiti, abrasis prius capillis, brachiis, cruribus, coxis, partibusque aliis, genitalibus, callosis-

que forsan solis exceptis. Quaecumque porro sit pars, cui vesicans applicandum est, probe abluenda, abradendi, si qui sunt, pili, frictiones ibidem instituendae, opportunis deinde fasciis, ne e sede dilabantur, revincienda epispastica.

Postquam decem circiter horae transgressae fuerunt a vesicatorii applicatione, ex irritatione, quam in cute produxit, lenis phlogosis excitata fuit, exhalantium vasorum intenditur actio, lympha uberiori ac par est copia ab ipsis adfertur, cuticulam in vesicam attollunt. Quum bene adparet vesica, auferendum est remedium, cuticula forfice sauciandа, ut serosus humor exeat; deinde folia *betae*, similiaque butyro illita cuti ulceratae applicanda, et semel, vel bis de die renovanda, ut diutius apertum maneat ulcus; si autem ad exsiccationem sit pronum, dum interim indicatio expostulet, ut continuo apertum se sistat ulcus, pauxillo pulveris cantharidum, vel euphorbii inspergatur, nova proinde excitata irritatione denuo uberior seri copia ab ipso extillat. Contra si ejusdem exsiccatio desideratur, emplastrum de spermate-ceti, vel de cerussa, aut de minio ipsi applicandum.

Non raro contingit, ut ab epispastico productum ulcus malignam, et gangraenosam naturam adipiscatur, quod quidem saepissime occurrit in morbis a summa virium debilitate fotis, puta in typho graviore, in scorbuti fine, hydrope etc. Istiusmodi ulcera medici attentionem summopere requirunt: tunc vero tonica, roborantia, antiseptica etiam dicta in usum ducenda, vinum chalybeatum, myrrha, cortex peruvianus, acidum muriaticum oxygenatum, aliaeque id genus adhibendae substantiae, ne in pejus ruat malum. Remedia eodem tempore intus ministranda, quae apta sint ad vires erigendas, ut magis magisque topicorum actio adjuvetur. Quoties ergo metus est, ne ob summam morbi malitiam, vesicatorii applicationem gangraena subsequatur, dum tamen hoc pacto excitandae sunt aegri vires; tunc cauto admodum incedendum pede

in ipsorum ministratione: vel enim tonica, et roborantia eodem tempore porrigenda sunt, vel (quod melius) per breve temporis spatium cuti relinquendum vesicans, ne scilicet exulceretur pars, sed tantummodo rubefacientem actionem exerat remedium.

Animadvertendum insuper est non omnia vesicatoria indiscriminatim unicuique convenire. Sunt enim circumstantiae plures, in quibus potius unam vel alteram ipsorum speciem applicare expedit. Iis, qui renum, aut vesicae morbis laborant, non conveniunt vesicatoria quaelibet cantharides recipientia, quum unicuique compertum sit, peculiarem in uropojetico systemate actionem exercere insecta memorata, proindeque si inconsulto ipsis applicentur, sic parata epispastica, penis erectio molesta, immodica, ac fere insatiabilis coëundi cupiditas, stranguria, ischuria, mictus cruentus, renum, vesicae, penis inflammatio, et tandem earum partium gangraena, cum summo aegrotantis vitae discrimine suboriuntur. Insuper pertinacisssimi capitis, aurium dolores setaceum prae caeteris exposcunt; intereadum pectoris morbi quidam, uti asthma, dyspnaea, fonticuli potius applicationem requirunt.

Jam ad vesicantium agendi modum deveniendum. Ex phaenomenis, quae ab ipsorum applicatione emergunt, clare patet, ipsa vi stimulanti praedita esse, ob quam vitalium actionum incitamentum exsuscitant, humorum circuitionem adaugent, lymphaticum absorbens systema excutiunt, caloricum majori evolvunt copia, languentesque fibrae muscularis motus excitant.

Non tantum topice absolvitur eorumdem actio stimulans, sed et eadem facili negotio per universum corpus evidentissime diffunditur: ex quo patet, quantum ea praestent in asthenicis morbis emolumentum.

Disputatum acriter fuit, utrum vesicantium actio tota consisteret in stimulo, quem praebent solido vivo, vel a seri copia e vesica educta, fuisset repetenda. Celeberrimi caeteroquin Viri

pro utraque stant sententia. At nos, relictis omnibus, quae in medium adductae fuerunt, hypothesibus, cum recentioribus magni nominis Viris asserimus, non fidendum esse evacuationi illi, quae ab applicitis vesicantibus cieri solet, neque ab hac sola curationem expectandam esse putamus.

Porro quid utilitatis praestare par erit seri copia, quam proliciunt vesicantia, si ex analysi chemica compertum habemus, serum a vesica eductum cum sanguinis sero evidentem servare analogiam? Nos itaque, missis quae de ipsorum agendi modo scripta fuere, revellentem hanc vesicantium facultatem cum cel. TOMMASINI denegamus; censemus nempe, materiem morbificam non ab uno ad alium locum transferri vesicantium ope, verum principium vitale potius esse, quod in parte affecta uberiori copia colligatur: qua posita conditione quaelibet se se offerentia pathemata facili negotio explicantur. Si ergo alicujus partis inflammatio a vesicantis inflammatione alibi producta levatur, hac lege elucescit modus, quo id producitur phaenomenon, non autem a materiei morbificae translatione derivandum esse rationi consonum. Enim vero ambas partes simul eodem intensitatis gradu dolere haud posse, Medicorum adagium habetur: jam ipse HIPPOCRATES veritatem istam agnovit, dum scripsit: *a duobus doloribus simul obortis, non in eodem loco, vehementior obscurat alterum.*

Ex hactenus in medium adductis argumentis sat superque unicuique compertum est, vesicantium agendi modum stimulantem esse; proindeque nulla ratione in inflammatoriis morbis, saltem in ipsorum initio, convenire. Ipsorum itaque utilitates perscrutantes dicere debemus, quibus adversentur morbosis affectibus hujusmodi remedia.

Febriles sic dicti motus nonnulli a vesicantium applicatione summopere levamen persentiunt; tam continuae, quam intermit-

tentes, et remittentes febres ipsae, dummodo a debilitate pendeant, non raro a vesicatoriis sanari visum fuit. Conveniunt pariter in synochi fine, in typho, praesertim si malignitatem, vel perniciem ostendant; nec frustra applicata fuere epispastica in febre flava, imo in peste ipsa.

Inflammationum seriem infinitam a vesicatoriis curari, vel saltem leniri, quis ignorat? Non omnes tamen ipsorum ministrationem permittunt: non in omni inflammationum stadio indiscriminatim adhibenda epispastica. Revera illae, quas veras appellant Nosologi, quum in virium augmento consistant, memorata auxilia respuunt, saltem in primo stadio, et nonnisi post repetitas venaesectiones eadem concedenda; quum itaque antiphlogistica methodo jam devicta diathesis fuit, dum adhuc irritatio, vel dolor topicus perstat, mirifice opitulatur vesicantium applicatio; hinc ratio cur post venaesectiones in pleuritide institutas perstans dolor a vesicantibus fugatur. Quot insuper ophtalmiae chronicae ab epispastico, vel rubefaciente momento temporis fuerunt sanatae?

Inter inflammationum species maximam attentionem sibi promereri videntur illae, quae *specificae*, ab aliis *exanthematicae* nuncupantur, uti variola, scarlatina, rubeola, miliaria etc. In hisce morbis, si diathesis hypersthenica viget, atque ab ipsius intensitate pendeat difficilis exanthematis eruptio, tunc nemo fere erit, qui vesicatorio ~~haud~~ utatur; at si ob caussas quasdam debilitantes eruptio retropellatur, vel aegre fiat, vesicans remedium ad cutim citissime eamdem revocat affectionem, quae internas jam minitabat partes.

Nec haemorrhagiae desunt, in quibus expedit ad haec remedia confugere: non semel ipsemet haemopthysim a vesicante curatam fuisse observavi. Idem de profluviis dicendum; millenae siquidem habentur blenorrhagiae tam acutae, quam chronicae, catarrhi, ptyalismi species, quae, incassum jam aliis adhibitis remediis, promptissime vesicanti applicito curatae fuere.

Conveniunt praeterea in anasarca, hydrothorace, hydrocephalo, aliisque hydropis speciebus; licet caute admodum ipsa in istis morbis sint adhibenda, quum metus sit, ne ulcus mali moris fiat; rubefacientia prae caeteris indicationem explebunt.

Infinitae demum sunt morborum species ad nevrosium classem spectantes, in quibus maximam praeseferunt utilitatem vesicatoria. Apoplexiam serosam, paralyses nonnullas, ischiadem illam praecipue, quam nervosam dicunt, hysteriam a vesicantibus curatas fuisse, Auctores plures testantur. Pariter sunt qui in hydrophobia eadem commendarunt; fatendum tamen usque adhuc non satis compertum esse, utrum reapse ab ipsorum applicatione aliquis hydrophobia detentus curatus fuerit. Anaphrodisia, sive coëundi impotentia, quum in organorum generationi inservientium atonia saepe pendeat, non frustra idcirco istis subjectis apponentur epispastica, praecipue illa cantharides recipientia, ob id quod jure meritoque in aphrodisiacorum censu insecta istiusmodi reponantur.

Nec spernenda demum vesicatoria in pluribus aliis affectionibus spasticis, uti epilepsia, asthmatis speciebus benemultis, in tremore, convulsione, aliisque hujusce generis morbis, dummodo semper ipsorum morborum natura in virium labe praesertim consistat.

THESES.

EX CHEMIA.

I. Ex celeberrimi Robiquet tentamentis compertum habemus, cantharides, analysis chemicae ope, phosphatem calcis, et magnesiae, acidum aceticum, atque uricum, utraque autem libera praebere. Demum peculiaris sui generis substantia alba, crystallina, insolubilis in aqua, contra in alcohole ebullienti, aethere, et oleis solubilis ab eodem detecta fuit.

II. Experimenta in sero capta ex vesicula ab epispastici applicatione producta effluenti, nulla morbificae materiei indicia ostendunt, proinde summam cum sanguinis sero analogiam habere, probabile admodum.

EX ANATOME ET PHYSIOLOGIA.

I. Cuticulam inorganicam esse, reparabilem, atque ab humore quotidie exsudante, ibidemque densato efformari, cum fere omnibus anatomes scriptoribus censemus.

II. Non tantum ad cutis sensilitatem obtundendam, temperandam efformata cuticula: alia ab eadem exercentur munia.

EX MATERIE MEDICA.

I. Eadem vesicantium species non omnibus subjectis convenit; variat nempe illorum delectus pro aegri idiosyncrasia, morbi ingenio, atque partis affectione.

II. Nec humorem uberiori copia ad partem alliciendo, nec materiem morbificam huc illuc attrahendo, verum ob stimulum, quem praebent, agere videntur epispastica.

EX HYGIENE ET MEDICINA FORENSI.

I. Tam simplicia, quam composita remedia, quae aliquid periculi in inconsiderata ipsorum ministratione portendunt, accurate servanda, neque omnibus indiscriminatim a pharmacopolis largienda.

II. Tot funestis exemplis edocti Medicos, et medicaminum distributores monemus, ut semper utendi modum remedii magnis literis clare in schedis conscribant.

EX PATHOLOGIA.

I. Ischuria, vel stranguria, epispastici cantharides recipientis applicationem sequens, in ipsis occasionalem caussam agnoscit.

II. Semper a cantharidibus produci ischuriam, vel stranguriam, negamus.

EX PRAXI.

I. In febribus adynamicis, ataxicis, aliisque a maxima virium debilitate fotis rubefacientia vesicantibus anteponenda.

II. Quod stimulum praevalidum praebeant epispastica, ideo in morbis inflammatoriis contraindicanda esse ratio suadet. Ast si a leni hypersthenica diathesi ipsi sustentantur, ad doloris, et irritationis molestiam temperandam jure iisdem utuntur cordatiores practici.

V. Balbis.

V. Canaveri f. f. de doyen.

Imprimatur.

Pro Rectore

C. SALUTIUS *Academiae Inspector.*

